



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.**

**Huth, Adam**

**Augustæ Vindelicorum, 1732**

13. De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab  
excommunicato

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

dum pro hac vice officium præsentandi, si possit id fieri.

## TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab Excommunicato.

**Q** 1. *An Episcopus, qui renuntiavit Episcopatu, possit adhuc conferre Ordines?* *Resp. 1.* Si renuntiavit *loco tantum*, h. e. curæ seu officio, & administrationi Episcopali, retento tamen Episcopali titulo, non tantum *validè*, ut per se patet, sed & *licitè* conferre potest Ordines, etiam majores, cum licentia Episcopi proprii Ordinandorum *c. 1. h. t.* sed non sine illâ; quia propriam diœcesim non habet.

*Resp. 2.* Episcopus, qui non tantum renuntiavit *loco* & regimini, sed & *Ordini*, sive executioni Ordinis & dignitatis Episcopalis, *licitè* cum licentia Ordinarii confert primam tonsuram & Minores. Ratio, quia cum etiam non Episcopi v. g. Abbates conferre hæc possint, non censetur his actibus renuntiâsse, cum renuntiatio sit strictè interpretanda: Ordines verò majores etiam cum licentia Episcopi alicujus *licitè* non confert; id enim *c. 1. h. t.* prohibetur. *Valida* est collatio, ut character sic Ordinatis imprimatur, non tamen Ordinis ita suscepti executionem consequuntur. *c. 1. cit.* sed *Ordines*

*majores* recipiens *scienter* ab Episcopo, qui renuntiavit loco & dignitati, non nisi à S. Pontifice dispensationem pro executione Ordinis accipere potest. *cit. c. 1.* Si tamen delictum sit notorium. Qui *ignoranter* ignorantiam scilicet non peccaminosam à tali ordinatus fuisset, posset dispensativè restitui executioni Ordinis à proprio Episcopo *c. 1. cit.* Suspendio hæc ab executione Ordinis censura propriè non est, cum etiam ab ignorante & absque culpa incuratur. Præterea, qui simpliciter renuntiavit Episcopatu, loco tantum in dubio præsumitur renuntiasse. Ratio; quia renuntians dignitati Episcopali, ob crimen depositus censetur. Arg. *c. 15. de elect.* excepto casu, quo Episcopus Religionem ingreditur.

*Q. 2. An valida sit collatio Ordinum facta ab Episcopo excommunicato. suspenso, in hæresi lapsa &c. Resp. aff.* Ratio, quia talis characterem retinet, ac proinde etiam potestatem ordinandi, licet eam obstante excommunicatione, suspensione &c. licitè non exercent. Textus *c. 2. & 3. caus. 9. q. 1.* allegatos contra assert. explicant Pirh. Eng. Wiestn, De dispensatione cum Ordinatis ab Episcopo v. g. excommunicato, loquendum. ut in priori responsione, quamvis varient AA. qualis Episcopus cum ignoranter ordinato ab Episcopo excommunicato dispensari possit, an scilicet ipse etiam Episcopus, qui ita ordinando deliquit, post impetratam absolutionem.

TITU.